



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

24 Jan. 9 Kal. Feb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

24 Jan. 9 Kal. Feb.

S Babyla, qui pro Christo ligatus, & decollatus, pretiosa illius vincula tecum sepeliri voluisti. O vivam ego, moriar ego, patiar ego libenter, quicquid pro Christo, & à Christo, patiendum venit; ut gratias pro iis, quæ patior, agendo pretium illis faciat affixa Dei voluntati voluntas mea. Illud, illud sit præparatio, & solatium mortis meæ, corona æternitatis meæ; maxima juxta, & minima, pro Christo, à Christo, libenter, cum gratiarum actione, fuisse perpeſsum. Amen

S. Timothee, S. Pauli Apostoli discipule virgo, pro Christo lapidate.

S. Eusebia, seu Xena V. quæ contemptis nuptiis, Sancti cujusdam tibi apparentis, ductu ita vixisti, ut à morte tuâ, in ipso meridie, stellata, & cælesti astrorum choro coronata Crux, usque dum sepelireris, conspecta sit; corona vitæ tuæ, in jejuniis, & omni sanctimoniâ, transactæ.

Sancti tres pueri, Urbane, Prillidiane, & Epoloni, qui S. Babylæ disci-

discipuli, suppliciis fatigati, ad annorum numerum, alius duodecim, alius novem, alius septem plagis, coram, & cum matre, affecti, capita innocentissima dedistis.

S. Saviniane M. à lectulo ferreo, igne, oleoque illæse; qui abscissum pro Christo tuum caput, ad sepulturæ locum, tuis manibus deportasti.

S. Macedoni, altæ scrobis incolæ, qui, per annos quadraginta, hordeo tantum, & aquâ pastus, morbos, dæmonesque fugasti; fœminam, quæ, arte dæmonis, bulimiâ semper avidè edendi vexata, triginta gallinas devoraverat uno die, incolumem reddidisti.

S. Cadoce Ep. Regis filii, qui ad ludos invitatus, in templum secedens suspirabas: *O caca mens hominum, quæ semper transitoria appetit, & aterna respuit! Videte quid sitis, & ad quid facti sitis!* Cujus nolâ mirabili duo feruntur mortui suscitati.

Sancti Musoni, Eugeni, Metelle, & socii, igne combusti.

S. Feliciane senex Ep. Martyr.

Sancti Thyrese, & Projecte, martyres.

S. Zama, prime Bononiensium Ep.

G 5

S. Surane

S. Surane Abba.

OMNES SANCTI, &c

pag. 44.

S. MARIA, *cujus hodie celebratur festum descensionis ad templum Tabetanum. Sim ego templum tuum: descende in me: sim tibi ara viva!*

S. MARIA, *cujus Patrocinii festum celebrat, hoc die, Ordo S. Benedicti unversus, tibi unicè semper additus: salu ut quilibet dies vita mea (sed extremè potissimum) sit Patrocinii tui dies!*

S. MARIA, *cujus etiam, hoc die, festum, de Pace dictum, in Hispania celebratur. Impetra mihi, ut vivam in pace cum Deo, cum conscientia, cum hominibus; & felix requiescam in pace, dum moriar!*

25 Jan. 8 Kal. Feb.

S. Paule, è Saulo, à Christo, cælo tibi ad aures & cor loquente, converse Apostole, vas electionis, *cujus sanctimoniam primum elementum fuit, Domine, quid me vis facere? Converte tandem et me. Impetra mihi, quaeso, sanctam cæcitatem, sanctum lumen, sanctum jejunium, voluntatem divinæ discipulam & ancillam; actuosam, vividam, igneam*

ergo